



50 R.

NOVA REVELATIO  
NOVA QVE  
MIRACVLA A DEO  
NOSTRIS TEMPORIBVS  
NEQVE SVNT PROMISSA  
NEQVE ETIAM NECESSARIA.  
  
ASSEVERATIO,  
QVAM  
EX AVCTORITATE  
MAGNIF. ET S. VENER. THEOLOGORVM ORDINIS  
PRO LICENTIA  
SVMMOS  
IN THEOLOGIA HONORES  
CONSEQUENDI  
IN  
ILLVSTRI ACADEMIA LIPSIENSI  
DIE XXX. NOV. A. R. S. MDCCCLXXV.  
AFFIRMABIT ET DEFENDET  
M. GOTTLIEB MERKELIUS  
PAST. ET SVP. TORGAVIENSIS.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA JACOBÆERIA.



SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE

ETC. ETC.

IN

CONSLIO SANCTIORI

ET

SENATV ECCLESIASTICO SVPREMO

M I N I S T R I S,

P R A E S I D I ,

VICE-PRAESIDI ET CONSLIARIIS,

I L L V S T R I S S I M I S

EXCELLENTISSLIMIS, PERILLVSTRIBVS,

MAGNIFICIS, SVMME VENERANDIS,

GENEROSSISSLIMIS, SPLENDIDISSIMIS ETC.,

D O M I N I S,


MAECENATIBVS ATQVE PATRONIS SVIS

INDVLGENTISSLIMIS, GRATIOSISSLIMIS

ET BENEFICIENTISSLIMIS,

NON TAM DOCTRINAE  
QVAM  
GRATISSIMAE MENTIS SVAE  
SPECIMEN,  
QVOD  
LONGE, QVAM ACCEPTORVM BENEFICIORVM  
CVMVLVS IVBERET,  
EST LEVIVS, ET TENVIVS,  
SVBMISSISSIME, RELIGIOSISSIME ATQUE OBSEQUENTISSIME  
OFFERT, DEDICAT ET CONSECRAT,

DOMINI  
HIGGEMATIAS ATQVE LATRICES SVAS  
INDALGENTIAS SVAS GRATIOSAS SVAS  
GOTTLIEB MERKELIUS.



## PROOEMIVM.

### §. I.

Nulla religio vera, nullusque dei adorandi cultus ei acceptus esse potest, nisi quem ipse praescripsit, quemque documentis indubitatibus et euidentibus declarauit, a se admitti atque recipi. Ea quidem opinio hominum quorundam tenet animos, vt statuant, deum, vtpote numen benignissimum, in aestimanda mortalium virtute non tam respicere ad istud, quod in se venerentur homines, quibusque id fiat modis; quam illud potius apud deum, iudicem, esse in hoc genere primarium: quo animo, quaque voluntatis contentione hoc faciant homines. Sunt in hac opinione quaedam vera, videlicet: deum non ex sacrificiorum pinguedine, aut cultus externi splendore, sed ex mentis integritate, et voluntatis sanctitate hominum cultum aestimari; atque in hoc capite summa quoque est consensio eorum omnium, qui a vera religione quam maxime sunt alieni. Sed quae, et qualis apud homines istos est mentis integritas, sanctitasque voluntatis? Ea forte, quam putant se habere? Vnde intellegere possunt, se vere, et certo habere? Vnde sciunt, haec

pietatis studia, quae velint, aut suspicentur, deo grata esse, ipsi huic deo probari? Nonne is homo, qui in omnibus rebus potest errare, in hac quoque religionis causa errare potuerit? Quidni Aaron, vitulum aureum fabricans, Micha idola conflans, atque ipsi Iudei, Apostolorum interfectores, bono animo, bonoque fine egerunt, vel voluerunt agere? Quasi non etiam medicus imperitus ipsum hunc aegrotum hominem, quem vult conseruare, possit perdere pessime?

## §. II.

Illa vero in hominum genus fuit clementia dei, ut, ab orbe condito, in rebus, ad sui cultum spectantibus, homines praeceptis certissimis et sapientissimis non solum instruxerit, sed etiam per prophetas aliosque viros sanctos ea, quae in religione sunt vera, literis voluerit mandari, ex quibus haberent homines, quid deo credere, quid a deo sperare, quaque mentis innocentia sentire, et confidere possint. Effecit illud deus per literas sacras, ita, ut, cum ipse summam felicitatem vellet dare, hi quoque intelligerent, qua ratione istam deberent accipere et tenere. Quid? quod in iis etiam institutis et ritibus, quibus Iudeorum religio exercebatur, et quos ritus humani cerebri non erat, excogitare, ea de ratione, quia, tanquam disciplina externa, ab arbitrio divino pendebant, deus, per Mosen, omnia ita ordinavit, ut nihil in externo religionis cultu esset ambiguum, aut humanae licentiae permisum. Idem summo iure potest affirmari de institutis et Sacramentis Noui Foederis. An vero hic deus, qui externum cultum tam operose quasi circumscriptis, putandus est ea non reuelasse, et dispouisse, quae ipsam religionem, internumque mentis cultum, sine quo nullus esset externus, constituerent, et definirent?

## §. III.


Quo autem haec omnia sunt veriora, et evidentiora, nimirum: primo, in constituenda religione humano ingenio,

vcl

vel etiam bonaे illi voluntati nihil licere, et posse licere, atque secundo, contra ea deum ipsum in sacrис literis, viam apertam, planam et rectam monstrasse, qua eundum sit ad hunc deum; eo tristior et acerbior est quoque illa ignomina, quam saeculi nostri nouus propheta, *Schweidensborgius*, quamque miraculorum quidam artifices et reuelationi et veritati diuinae voluerunt inurere. Multa cum docte, tum prouidenter conquestus est, atque admonuit de hac saeculi nostri eluenda macula, Vir Magnificus, D. Io. Aug. Ernesti, Theologus Summus, in Programmate, quo ad memoriam emendatorum per Lutherum sacrorum celebrandam inuitauit. Verissimum quidem est illud Ciceronis: *Vi quisque est vir optimus, ita difficillime alios esse improbos suspicatur.* Attamen, cum homines improbi existant, cumque isti fraudis spargendae artifices illud callidissime agant, quo animos, bonos quidem, sed non satis confirmatos, huius fraudis captent laqueis; hinc intempestiuum, aut nimis longe petitum videri non potest argumentum, quod, in hac scribendi opportunitate, tractandum nobis selegimus, cuiusque tractationis, in duas Sectiones abeunis, haec erit summa, ut, non docte quidem et copiose, sed populariter tantum, et breuiter demonstremus: *Nouam reuelationem, nouaque miracula, a deo nostris temporibus neque esse promissa, neque etiam necessaria.* Iohannis cap X. v. 41. legimus haec verba: *Multi veniebant ad Christum, et dicebant: Iohannes (Baptista) signum quidem nullum edidit; quaecunque autem de illo, (Christo) dixit, vera erant.* Et Chrysostomi, Aom. V. in I ad Corinth.: hoc est monitum: *τὰ σημῖα τούτῳ χριστῷ εἶπεν, καὶ νῦν χριστὸς ἐγένεται.* Miracula, Apostolorum tempore, cum utilitate fiebant; nunc autem, atque his nostris temporibus, eadem cum utilitate, non fiunt. Rem ipsam aggrediamur, bono cum Deo!

## SECTIO





## SECTIO I.

*Qua demonstratur: reuelationem nouam esse a deo  
nostris temporibus neque promissam, neque etiam  
necessariam.*

---

C A P. I.

*De reuelatione.*

§. I.

**R**euelatio, graece ἀποκάλυψις, ad quam simul pertinet,  
θεοπνευστια, (ita tamen, vt a reuelatione differat ~~θεοπνευστια~~, sicut a re ipsa rei modus,) in vniuersum est omnis a  
Deo ipso, nullo humani ingenii interuentu, tradita rerum qua  
rumcunque scientia, vel rei cuiusdam occultae manifestatio.  
Quodsi vero reuelationis notionem pressius accipiamus, eam  
dicere posse videmur complexum veritatum earum, quae a  
deo, modo naturam superante, in sacris literis sunt patefa  
ctae, eo fine, vt hae veritates, a ratione humana, et lege  
naturali diuersae, hominem, cui destinatae sunt, de mo  
do et via, felicitatem aeternam consequendi, plene et cer  
te instruant. Est itaque in omni, et maxime in hac, de  
qua dicere instituimus, reuelatione, partim deus, omnis ve  
ritatis auctor, et cui de rebus manifestandis, absque errore et  
errandi periculo, soli constat, partim rerum occultarum, et  
diuinarum cum humano intellectu communicatio, et im  
pressa quasi intelligentia, partim ipsa mysteria, dogmata fidei,  
praecepta morum, vaticinia, et consequendae salutis subsidia,  
prout normam homini, ad summam felicitatem tendenti,  
ordi

ordinant, partim etiam finis, quem deus, pro summa sua libertate, atque bonitate, sibi habuit praefixum.

§. II.

Quam vero, et quo sensu reuelationem aliquam vocamus *nouam*? Nouum aliquid est velita, vt tam effectus, quam effectus causae, et fundamenta, quum antea non fuerint, esse incipient, vel vt ex causa, quae fuit antea, quaeque manet integra, alii diuersique prouenant effectus, vel vt ad effectus, qui cum suis causis plene subsistunt, augmenta, connexiones, et ὁρίσματα accedant, qui ante non aderant. Qui igitur nouam reuelationem, eo, quo diximus, modo definitam, vel expectant, vel expetunt, eos quidem non suspicamur alium deum, aliamque veritatis scaturiginem, sed alias tantum poscere notitias, tanquam hinc derivandos ritios, aliosque efflagitare euidentiae gradus, et rituorum procidentiam. Nouam isti noui quasi homines maxime vrgent reuelationem ea significatione, quam secundo et tertio loco posuimus.

§. III.

In reuelatione, quam in sacris literis vtriusque foederis accepimus, veneramur nos *mysteria*, tenemus *fidei dogmata*, sequimur *morum praecepta*, audimus *vaticinationes*, atque iuuamur *salutis aeternae consequendae subsidii*. Nam in eo videtur omnis religionis contineri efficacia, et reuelationis finis, vt de Deo recte sentiamus, et credamus, vt pie sancteque iuuamus, vt futura praeagustemus, vtque nos, in vera fide decedentes, ex hac vita ad meliorem statum transmigremus. Quodsi igitur noua quaedam nobis deberet exsplendere reuelatio, ista sepe, oporteret, referret ad illud, vt vel plura mysteria, fideique dogmata, vel plura vitae instituenda

## X

stituenda praecpta, vel apertior, per vaticinia, ad futuram felicitatem via, vel efficaciora ad hanc beatitatem pertinendi subsidia nobis panderentur. Deus enim non dat reuelationem sine ratione, atque nos videre non possumus, quae noua ratio sui manifestandi in deo valeat nunc denique progerminare, quae non semper fuerit in ipsius bonitate, voluntate, et potestate.

## §. IV.

Si qua igitur esset nouae reuelationis expetenda apud quosdam homines licentia, eam nos videremur posse compescere atque constringere hac ratione, ut ante omnia doceretur accuratissime: Primo, in reuelatione, quam habemus, esse defectus diuinae bonitatis; deinde, pluribus in hominum intellectu et voluntate malis esse medendum, quam quibus medelam afferre valeret diuina reuelatio; postremo recensenda forent ea, quae aut non adesse, aut adesse debere putarentur. Duram cepisse prouinciam arbitramur eos, quibus haec omnia sunt euincenda. Sed de his omnibus suo loco pluribus erit disputandum.

## §. V.

De modo nouae reuelationis recludendae nil forsitan praescribunt illi, qui in hac religionis causa plura poscent, quam habere debent et possunt. Varius modus sui reuelandi in V. T. fuit deo trinuni, quem modum varie quoque ordinant et proponunt Theologi. Reuelatio in vniuersum facta est πολυμερῶς (quoad articulorum quidem circumstantias, non vero substantiam, v. gr. Gen. III, 15, XLIX, 10. Es. VII, 14. Ier. XXIII, 5. Dan. IX, 26. Mich. V, 2.) καὶ πολυτέρως Ebr. I, 1. AVGUSTINVS STEVCHVS, (quem sequitur GLASSIVS) ex Num. XII, 6. 8. quinque modos recenset, quibus

quibus facta sit reuelatio, scilicet: 1) בְּרִיאָה per visionem, cum rem in visionibus reuelatam intuemur, 2) בְּחַלְמָה in somnio, quod contigit dormientibus, 3) בְּרוּחָה, in aenigma, cum aliud videtur, aliud innuitur, vt erat, cum librum Ezechiel commederet. 4) בְּתִבְנָה in figura, sive idea, cum rerum imagines intuemur. 5) פֶּה אֶל-פֶּה, per allocutionem diuinam, qui modus omnium fuit praestansissimus. Alii contra ea ita recensent: 1) prophetiam 2) spiritum sanctum 3) Visionem, 4) Vrim et Thumim 5) בְּתִקְוָה seu filiam vocis, de qua Matth. III, 17. XVII, 5. Ioh. XII, 28. Act. IX, 4. exponunt. conf. SCHERZERV, Theologus quondam Lipsiensis, isque summus et φιλοσοφάτατος, in Syst. Loc. I. §. 7. In libris N. T. locutus est deus nobiscum per ipsum filium vnigenitum, sacrorumque dogmatum praecones, Euangelistas, Apostolos, et prophetam, Iohannem, eo tamen cum discrimine, quod intercedit inter ipsum salutis nostrae auctorem, et huius salutis generi humano annunciandae ministros, et dispensatores. Nos certe tam prouidentes aut sagaces non sumus, vt praedicere vel conjectura valeamus assequi, quis alias reuelationis coelo demittendae vterius possit excogitari modus. Et quamvis etiam, quod fatemur, ex ignorantia et inertia nostra non minuantur potentia diuina; nihil tamen videtur opus esse his scrupulis, et effingendis modis rei illius, cuius neque vlla est Dei promissio, neque vlla ex parte nostra necessitas vera. vid. b. GOTTL. WERNSDOREII, incomparabilis quondam apud Vitembergenses Theologi, Dispp. T.I. disp. XX. p. 687. sqq. de diuinis reuelationibus, earumque varietate, edit. Zeib. Illud certum esse arbitramur, omnem nouam, si quo modo contingaret, reuelationem, similiter vt eam, quam a deo habemus, oportere esse diuinis perfectionibus conuenientem, scitu necessariam, ad mentem dei, reuelantis, declarandam

aptam, atque ad hominum veram felicitatem procurandam  
appime factam.

## C A P. II.

*Vtrum vero talis revelationis nouae aliqua facta sit a deo promissio,  
vel utrum ex parte humani generis existat vera quedam harum  
nouitatum indigentia, ut necessariae sint, nec ne? De utraque  
quaestione iam est videndum.*

## §. I.

**I**llud libenter et sponte damus, in deo, qui habitat ἐν Φωτὶ<sup>απερστῶ</sup>, cuiusque sunt ἀνέξερουτα τὰ κείματα παντὸς ἀνεξι-  
χίασοι αἱ ὁδοὶ, longe plura dari mysteria, quam quae nobis  
sint patefacta in sacris literis, multoque altiores esse in deitate  
fontes, quam quos humanae scientiae amphoris valeamus  
exhaurire. Nota sunt ea, quae hic solent praecipere Theo-  
logi de Theologia ἀεχερόπῳ. Atque iisdem ducti rationi-  
bus largimur, tum multo maiorem, eamque nouam in vita  
aeterna esse expectandam ἐλλαμψοῦ, tum nostras percipiendi  
vires in altius, quam in hac vita exflurgunt, esse euehen-  
das. In hac nutrienda spe et confidentia innitimus promis-  
fis d'uinis, quae gloriam futuram, nostris iam sensibus non  
emetiendam, nobis commonstrant, cuiusque adipiscendae  
fructu excidere non possumus, propter veritatem eius dei,  
qui fidem dedit, se praefiturum.

## §. II.

Non autem istud iam est in quaestione: quae piis et  
sanctis, post beatum ex hac vita abitum, factamque carnis re-  
parationem, sint a deo notitiae et perceptionis tribuenda be-  
neficia; sed disputatio nostra versatur in eo: vtrum in hac  
vita,

vita, pro nostra facultate, ad finem a deo propositum consequendum, praeter ea, quae manifestata sunt, et scripta, noua quaedam sit expectanda aut exposcenda reuelatio? Quae-ritur: an deus praeter ea, quae semper sunt protensa, brachia, adhuc alia, ad nostram impotentiam subleuandam, sit quasi exsертurus? Et quidni alium solem imperaturi essent illi, qui vel coeci sunt, vel, vt esse possint, oculos claudunt?

§. III.

Videamus itaque, vnde nouae reuelationis excuspen-diae sint promissiones. Nam de his *primo loco* dispiciendum est breibus. Omnia vero rationis humanae et principia et vires hic iubemus exulare, quod, cum totam Christianam religionem humana sapientia plane ignoret, eadem ipsam multo magis oporteat ignorare eas sarcinas, quae diuinae veritati essent adsuenda. Non enim, teste extraneo, *TAMBlichō*, de Mysteriis, Sect. III. c. 8. *a vehementiori et contentiori tantum actionis passionisque gradu, non ab acutiori et concitatori cogitatione, non a feroore animae, neque etiam a temperamento corporis aut innato vel frigido, vel calido, vel humido, et naturalibus motionibus potest originem suam trahere τὸ ἐνθεσιαν.* Sed vnde vis diuinandi? et quae huius θεος μυσταὶ εἰσι τὰ καθήκοντα ἀπὸ τῶν θεῶν φῶτα, καὶ τὰ ἐνδιδόμενα πνέυματα ἀπὸ αὐτῶν, καὶ οὐ απὸ αὐτῶν παντελὴς ἐπικράτεια, οὐ τ. λ. causa atque origo diuinationis *alia* non est, quam illuminatio ab ipsis usque *Dīs* promanans, spiritusque ab iis prouenientes, et obſeffio, qua nos tenent, plena et absoluta, etc. Quicquid naturae vires non possunt dare, illud etiam non debent dare velle. Sunt itaque istae nouae reuelationis promissiones hauriendae ex solo deo, hoc est: vel ex sacris literis ipsis, vel, quod tantummodo audemus

ponere, ex interno quodam lumine, absque mediis scilicet in pectus diuinitus immisso. At lumen hoc internum fal-lax, debile, vel rectius, nullum est; et quaenam exinde vel noua reuelatio, vel eiusdem edendae vera esset promissio? Cum igitur ἡ θεολογία αὐτούς πάντας ποτὲ προφήτεια, οὐδὲν ὑπό πνεύματος αγίας Φερόμενος ἐλάλησαν οἱ ἄγιοι Θεοί αὐτῶν, 2 Petr. I, 21. exinde quoque certum est, et indubitatum, quod istud, quod solus deus dedit, solus quoque deus potuerit dare.

## §. IV.

Non autem ex sacris literis possumus has promissiones habere, utpote in quibus tale quicquam non legimus. Sunt quidem vaticinia, et enunciata quaedam, quae nouam reuelationem maioremque euidentiam praefiniunt. Es. 42, 9. 62, 2. Ier. 31, 22. Iocel III, 1. etc. Habemus vocem Christi, qua viris sanctis pollicetur, se daturum et reuelatum esse, πως καὶ τι deberent dicere. Matth. X, 19. Paullus Apostolus, Phil. III, 15. dicit: ὅσοι δὲ τέλεοι, τῷτο Φεροῦμεν· ναὶ εἴ τι ἔτέρως Φεροῦτε, ναὶ τῷτο ὁ Θεὸς ὑμῖν ἀποκαλύψει, quicunque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus; et si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis reuelabit; ut alia loca taceamus. Sed quem sumus lectorem experturi adeo αὐθεόλογον, quia velsciatur, vel intelligat, partim, has, aliasque huius generis in V.T. factas promissiones iam esse impletas, Act. II, 17. X, 44. XIX, 6. partim, ea, quae Christus pollicitus est, pertinere non ad nos et nostra, sed ad Apostolos, eorumque tempora, vbi impudentiae genus esset, si in societatem θεοπευσίας cum Apostolis vellemus nos adsumtos. Et verba Paulli, Phil. III, 15. certe non de noua rerum diuinarum reuelatione, quam dicunt Philosophi, obiectiva, sed subiectiva, maiorique eorum, quae reuelata sunt, cognitione et salutari perceptione sunt

sunt accipienda, ut exinde Paullus in hoc loco non tam promittat, quam potius admoneat. THEODORETUS haec verba Paulli alia, quam quae a nobis sumitur, facta relatione, ita παραφερόμενοι: τάντα Φρεσένη μάς περὶ τῶν προκειμένων βεβεῖν προσήκει: εἰ δὲ καὶ ὑπὸ ἀνθρώπων ἐπιτάχει ὅποια τάντα εἴσι, αλλὰ γνώμην προσήκει, ἃς δεῖξει τάντα ὡνόμων ὁ ἀγωνοθέτης θεός. Haec de propositis praemiis nos sentire oportet. Quodsi non perfecte scimus, cuiusmodi ea sint, scire tamen conuenit, deum, agnitionem, ea nobis esse ostensurum. Sed ex his falsis sumptionibus nil veri certique potest elici. Ab umbra ad lucem, et a lucis mensura arctiori ad capaciorem progressus est deus reuelando, cuius lucis summus splendor futurae beatitati referuatus est. Eo usque permanemus in nostra cogitatione, donec proferantur ex sacrificiis literis effata, quibus deus vere promisit, se, praeter scripturas, et ad scripturarum complementum, aliquid noui esse patefacturum. Et si quae sunt promissiones, illae non ad hanc, sed ad futuram vitam ordinantur, non ut noua subsidia, sed ut noui fructus. Non videtur aliquid promisisse is, qui, cum solus promittere poterat, plane tacet.

### §. V.

Nouae autem reuelationis promissa ex ἐπιφανείαις et φωτισμοῖς, absque literarum sacrarum interuentu contingentibus, extorquere, aut de iis, ut extortis, velle gloriari, cum iejunum, et debile, tum incertum est et fraudulentum. Nouimus omnes, quid Paullus in hoc genere contra Galatas, sub anathematis minis, constituerit, hisce suis, iisque iterata vice inculcatis verbis: εάν ημεῖς οὐ ἀγγελος ἐξ ἑρανθείαν γελήστει ὧν παρεῖ ὁ εὐηγγελισάμενος ὧν, ἀνάθεμα ἔσω. Gal. I, 8. 9. Obone deus! quot spectra, quot umbras, quas non insania nos oporteret admittere, si res religionis nostraeque speci

## XVI

spei fundamenta perdidérent a cerebro hominum pessime a grorum? Aut si qui ex mortuis resurgerent, et noua prædicarent? CHRYSOSTOMVS, de Lazaro, Hom. IV. ita respondet: *vt vero cognoscas, quod grauior sit scripturarum et prophetarum doctrina, quam si quid a mortuis resuscitati renuncient, illud considera, quod quisque mortuus est seruus, quae vero scripturae loquuntur, locutus est dominus. Proinde etiam si mortuus reuiuscatur, etiam angelus e coelo descendat, maxime omnium credendum est scripturis.* Nam angelorum heros mortuorum pariter ac viuentium dominus ipse eas condidit — *Ne igitur quaeramus haec audire a mortuis, quae multo clarius quotidie nos docent sacrae literae.* Sed de his alio loco dicetur,

## §. VI.

Neque etiam, quod secundo loco probandum, reuelatio noua, quam non pollicitus est Deus, adeo necessaria est, vt ipsam debuisset deus vel promittere, vel nostris temporibus concedere. Est quidem alia, quae nullas, alia vero, quae quasdam præscribit conditions, necessitas. Vtraque, si vel rem ipsam spectemus, vel ad nostrum, quo sumus Christiani, statum aestimemus, locum habere non potest. Quas vero propter rationes? Respondebimus in genere: Περίγνωστα καὶ ἔγων αἰδίων πράξις θεῶν μέν εἴτι ἔργα, ὅτε δέ δι' αὐτάγκης, ὅτε δὲ ἀλλας αὐθεωπίνας αἵρεις ἐπίτελεῖται, ἀλλὰ διὰ τοιώντας, ὅποις οἱ θεοὶ μόνοι γνώσκονται. Praedictio omnis, et operationum diuinarum præstatio plane deorum opera sunt, quae neque ex necessitate, neque ex alia aliqua causa humana perficiuntur, sed per eas causas, quae solis Diis cognoscuntur. TAMBILICH: de Myst. Sect., III. c. XIX. et Sect. I. c. XIV. Θεῖα αὐτάγκη συνιέχει τῇ θεῖᾳ βελήσει. PROCLVS in Tim. I, I. Atque, quod maximum est, ex fine, eiusque cum

cum subsidiis constitutione et habitu demetienda est religio-  
nis reuelatae perfectio, vel etiam aestimandi, si qui ad sint,  
eiudem defectus. Quem vero finem, in hac vita, sibi deus,  
pro sapientia summa, proposuit in constituenda religione et  
reuelatione? Absque dubio hunc ipsum: vt per Christum  
in eum locum, vnde deciderat, restiueretur generis huma-  
ni felicitas, vt intelligentiae tenebrae dispellerentur, vt vo-  
luntas emendaretur, vt imago diuina repararetur, vt ad  
tranquillitatem mentis reduceremur, vtque nos, bene bea-  
teque ex hac vita erexit, ad summam, qua homini licet vti,  
felicitatem eueheremur. Ad hunc finem et scopum reue-  
lata sunt mysteria et fidei dogmata, ad hanc vitam sese refe-  
runt morum praecepta, huic intelligentiae, confidentiae, et  
incolumitati elaborandae apta sunt subsidia, diuinitus data.  
Et quid vaticiniis opus est illi, qui e verbo dei, atque ex in-  
terno spiritus Sancti testimonio, futurorum eventuum habet  
et notitiam et spem firmissimam?

## §. VII.

Non est, vt *speciatim* dicam nostris temporibus no-  
straeque conditioni necessarium, vt noua *mysteria*, noua-  
que *fidei capita* reuelentur. Nam de vtroque tam mysterio-  
rum, quam fidei capitum, arguento, quod intime cohae-  
ret, tantum nos scire, intelligere atque credere oportet,  
quantum deo, pro sua libertate et sapientia, fatis visum est.  
In mysteriis nihil ad nos pertinet, praeter firmam rei firmae  
scientiam, prout haec diuini splendoris radios ad nos desert.  
Atque cum oculi nostri ne hos quidem radios valeant susti-  
nere; quid tunc denique futurum esset, si plures et arden-  
tiores mysteriorum soles nobis incenderet deus? Quos ha-  
bituri essemus concipiendi et intelligendi modos? An istud,  
quod infinitum est, nullumque habet extreum, cum iudi-  
candi

## XVIII

candi vi nostra definita potest perfecte communicari? An itaque homo iuste agit, qui, cum mysteria, in sacris literis reclusa, non possit perspicere, plura sibi putat mysteria esse necessaria, vt plura ignoret, atque nesciat? Idem vide-mur statuere posse de fidei nostrae dogmatibus, vbi coram Deo, iudice ynico et primario, tantum fide amplecti tene-mur, quantum ipse iudex nobis reuelare voluit, et vbi nos accusari damnarique non possumus, quasi istud, tanquam minus necessarium, neglexissemus, quod deus necessarium non duxit. Illud est totius religionis summum caput, et ἀκρόπολις, vt sciamus, et vera fide teneamus: Deum nobis esse reconciliatum per filii sui ἀπολύτεων, summamque felicitatem redditam esse in ipso Christo generi humano. Tam ardua certe, et mysteriorum plenissima est iustitiae, bonitatis et sapientiae diuinae administratio in morte Christi vicaria, vt et perspicacissima intelligendi vis habeat, in quo se exerceat, vtque etiam homines, a literis alieni, inueniant, in quo, dummodo Christus non ignoretur, feliciter acquie-scant. Satis mysteriorum et fidei reuelatum est, postquam Christus ἐφανερώθη ἐν σαρκί.

## §. VIII.

Recte autem constituta credendorum regula, omnia nunc ad vitae sanctitatem et τωΦροσύνη spectant, ita, vt illi, qui de deo rebusque diuinis vere sentiunt, etiam τωΦρόνως καὶ δυάδος καὶ ἐνσεβᾶς in hoc mundo viuant. Tit II, 12. Subministrant autem nobis sacrae literae sapientissima pree-cepta et consilia, ad quae nostri mores componendi, nostra-que dicta et facta sunt dirigenda. Horum praceptorum, quotquot sunt, ea quoque est firmitas, et interna perfectio, vt iis non solum, fine periculo, possimus inniti, sed vt etiam, in hac nostra infirmitate, dicta et acta nostra nunquam cum ea

ea perfectione valeant aequari. Non igitur in his ipsis morum praeceptis, bene autem in nobis, nostrisque factis, plures perfectiones desiderari possunt, rectiusque conquerimur, non tam de regularum vitae, quam de virium, eas seruandi, paucitate. Et si qua esset plurium praeceptorum necessitas, ea vix utilitatem aliquam habitura esset, nisi illi, qui plura desiderarent, in eo quoque essent statu, ut plura, maioraque bona, efficere valerent. Sunt fortasse, qui, quod ad finem non est necessarium, sibimet ipsis suoque genio ducant necessarium, quique alia et facilitiora vitae instituendae praecepta velint habere, ut eo laxioribus vti habenis, excusatiisque peccare ipsis liceat. Sed quo iure possunt illi, qui deum hoc modo reprehendunt, et ipsius leges latas contemnunt, istud sibi sumere, ut ab hoc ipso deo nouas leges postulent, recentioresque leges necessarias putent, cum tamen ex antiquoribus viuere nolint? Quod si enim hoc vere vellent; quid noua opus esset nouarum praescriptionum reuelatione? Non est, cur his tricis, vel huic petulantiae longius inhaeremus. Prodeat aliquis, aut Phariseus, aut Thraso, actionemque denominet aliquam bonam, cuius efficienda normam prae scriptam nondum habeamus in sacris literis! Prodeat!

## §. IX.

Ex summi numinis fine, quo salus aeterna, per Christum reparata, nobis est impertienda, proficiscitur *subsidiorum* necessitas, hoc est: cum Deus aeternam felicitatem ex gratia certe velit dare; modum quoque ac vires, necesse est, habeamus ex gratia, ut possimus accipere et possidere. Media salutis generatim dicere solet schola Theologorum. At noua media? ex reuelatione noua? praeter ea, quae iam sunt ordinata auxilia? et quidem necessario?

Ita autem nos respondemus: Modus et restituendae et conferendae salutis aeternae pendet ab arbitrio diuino, quod, quamuis cum sapientia et bonitate dei necessario conspiret, necessitatem tamen non infert in voluntatem diuinam. Ergo illud tantum est nobis necessarium, quod deus liberrime non tam potuit, quam voluit, tanquam necessarium, praescribere. Et quamuis etiam potuisse deus, pro sua libertate, plures libros diuinos, pluraque sacramenta ordinare; tamen illud tenendum esse censemus, quod ea, quae deus proposuit, salutis accipiendae subsidia, quibusque pie vtimur, cum spiritus sancti efficientia *adiutorias*, sint coniuncta, quod *euangēlia* sua fundamentum habeant in merito Christi, per fidem nostru factu, quodque in nouo homine, per haec verbi diuini et sacramentorum media procreando, omnia profluant ex deo trinuno. Quidni vellet aliquis praeter deum, summa bonitate, sapientia et potentia praeditum, habere alterum quemquam deum, qui possit in iis, quae ulterius necessaria putantur, in subsidium adhiberi, opemque ferre? Nonne is ipse deus, *δυνάμενος ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπὲρ ἐν περισσῷ, ὃν αἰτήσει, οὐδὲν πατέτων*, Eph. III, 20. etiam per hoc verbum suum, atque per haec sacramenta baptismi et coenae, nos ad vitam aeternam potest resicere? Et quid nouis modis reuelandis, et nouis subsidii erogandis, nunc denique estopus? Praeterea diligenter cogitandum est, quod ista media salutis, quae ex gratia dei habemus, omnibus malis, et vulneribus nostris medendis, sint sufficientia, et numero, et viribus, quodque nulla mentis nostrae, in hac vita, tam dira sit conditio, atque infelix, quin scripturarum et gratiae diuinae medicina saluberrime et efficacissime adplicetur. An igitur homini Christiano, qui re ipsa saluatur, adhuc alia auxilia sunt necessaria, aliaque reuelatio, ut saluari possit?

§. X.

## §. X.

Quemadmodum denique *vaticinandi donum*, a deo prophetis communicatum, summam religioni apud omnes conciliauit auctoritatem, quapropter et gentiles aliquam προφητειας ηνθεσιασμεν τεχνην fabricarunt; ita etiam, ut testantur historiarum, omniumque aetatum, monumenta, vaticinandi vertigo cepit nonnullos, ut non tam, quae fieri potuissent, callide et sagaciter coniicerent, quam potius eos rerum euentus vellent praedicere, qui et poterant accidere, et non accidere. Hoc genus hominum non solum nouas reuelationes iactat, sine quibus ipsorum praedictiones nullae sunt, sed has inde ductas praedictiones etiam clamat nostris temporibus esse quam maxime necessarias. Quidni, inquiunt, et nostris hominibus sese manifestare, atque, in utilitatem ecclesiae suae, nouas potest edere deus vaticinationes? (Quasi deus, quod facere possit, etiam facere necessario debeat, atque velit, quem locum omnes noui prophetae occupare soliti sunt.) Nos contra ea in hac quaestione ita censemus: Omnia, quae in Scripturis diuinis continentur, vaticinia, scimus, sese referre primario ad seruatorem ac dominum nostrum, Iesum Christum, qui, cum in carne comparuerit, et illud, quo salui essemus, ἐγένοντο perecerit, non amplius necesse est, ut in vaticiniis adoretur et speretur. Non ulterius praedicendum est quicquam, quod iamiam est effectum. Neque etiam est, cur de futuris ecclesiae imperiorumque fatis, quac saepius quondam in sacris litteris per vaticinia sunt praenuntiata, his nostris ultimis temporibus, nimium, adeoque simus solliciti, ut nouos prophetas efflagitemus, nouamque, per vaticinia, reuelationem putemus esse necessariam. Et praeterea vaticinationum ea fuit plerumque indoles, ut non illi, qui audirent viderentque prophetas, sed qui postea, multisque interdum saecu-

## XXII

lis interiectis, viuerent, praedictionum euentus ipsos vide-  
rent. Illi itaque, qui vaticinia quidem ipsi audiunt, effectus  
vero praenuntiantos non vident, nullum alium fructum ex iis  
percipiunt, quam quod vel excitationis, vel commotionis  
beneficium nanciscantur, quod ipsum, quamvis maximum  
sit; et utile, si deus quibusdam hominibus libere voluerit tri-  
buere, tamen ex ea, quam habemus, reuelatione hauriri  
et depromi proprie potest, et debet, vt exinde noua vatici-  
nia nostris temporibus non sint necessaria. Quid? quod  
ipse Deus neque bonus, neque iustus, neque sapiens esset,  
si quid eorum, quae ad totam religionem constituendam  
necessario pertinerent, quibusque, sine dispendio animae,  
carere non potuissimus, in claustris suis referuatum tenuil-  
set, atque ad hunc usque diem nobiscum non communicasset.  
Quam exinde nouam reuelationem nostra tempora a deo  
optimo, et sapientissimo non habent, eam quoque, non  
opus est, vt necessario habeant, et exposcant, vel expectent.  
Hinc etiam, monente Paullo, et praecipiente Christo, non  
audiendi sunt, qui praeter id, quod scriptum est, noui ali-  
quid apportant, et se a deo nouis reuelationibus honorari  
mentiuntur. Atra bilis, supersticio, ignorantia, cerebrum  
excussum, et ~~nevodoξia~~ harum reuelationum nouarum anti-  
qua sunt effectrix. Agnoscamus ingenia diaboli, idcirco de  
diuinis quaedam affectantis, vt nos de suorum fide confundat,  
et iudicet. TERTULL. de Cor. Mil. C. XV.

## SECTIO

## SECTIO II.

*Cum, pro virium nostrarum modulo, atque prout patiuntur scriptioris nostrae cancelli, euicimus, nouam reuelationem nostris temporibus a deo neque esse promissam, neque necessariam; ad secundam nunc sectionem progrediamur, illud demonstraturi, quod saeculo nostro optum esse videtur, scilicet: ad ipsius, quam habemus in sacris literis, revelationis antiquae confirmationem, deum similiter neque promisso, ut donum miraculorum, reuiuisceret, neque etiam haec noua miracula nobis Christianis, ut insituamur, et emendemur, et confirmemur, esse necessaria.*

---

## C A P. I.

*De dono miraculorum.*

## §. I.

**V**aria esse miraculorum genera, vel multiplicem potius vocis, miraculorum usum, neminem existimamus ignorare. Ut iam nihil dicamus de iis, quae vel arte, vel fraude facta, miraculorum speciem ementiantur; illud tantummodo subimoneamus, nos per miracula nil eorum indicare velle, quae, cum ex suis causis, rerumque naturalium nexu, possint explicari a viris doctis, a plebecula tamen pro miraculis habentur. Sponte quoque fatemur, atque aperte, nobis, quamvis ad naturae adyta tendentibus, vires ipsius nunquam esse plane perspectas, multaque exinde, quae ex inde le sua non sunt, nobis fieri naturae miracula, siue talem effectum,

XXIV

fectum, qui ex ipsius naturae fonte deriuatur, cuius autem riuali tam abscondite flunt, vt nos, cum effectum ipsum videamus, interdum neque fontem, neque eum sciamus esse naturae. Verum quidem est, rei christianaes hostes idem nobiscum hoc loco monere, atque fateri; sed longe aliò, quam quo nos, fine, illi hoc faciunt. Iste enim, vt omnem miraculorum memoriam proiiciant, et abradant, nos autem, vt miracula vera recte discernamus, ad occultas naturae vires prouocamus. Ita miracula diuina arroserunt POMPO-NATIVS, THOMAS HOBBESIVS, SPINOZA, ISAAC PEYRERIVS, BERNHARDVS CONNOR, NEHEMIAS GREW etc. conf. GRAPPI Theol. rec. contr. T. II. p. 56. fqq.

§. II

De veris vereque diuinis miraculis nos iam instituimus sermonem, ita, vt simul obseruemus: de veris miraculis, ex praeceptis philosophorum, probabiliter, ex literis autem diuinis, certissime constare, et constare posse. Vocantur ea in codice sacro σημεῖα, τέρατα, δυνάμεις, τεκμήρια, Θαυμάσια, ἔργα etc. נִזְבָּה, quod oī ó Exod. XII. 12. τέρατα, Ps. 77. 12. Θαυμάσια, θαυμάσια, θαυμάσια' Ps. 106. 22. נִזְבָּה, תְּמִימָד etc. Signa autem vocantur, non eo sensu, quo rei, quae abest, interdum adhibemus symbola externa, sed quo vis efficiendi abest, atque agit, et quo, ipsam adesse, et agere, simul quoque indicatur. Vtrum vero inter voces, σημεῖα, τέρατα, δυνάμεις, τεκμήρια sit discriminem aliquod, ita vt voce sit vox praegnantior? illa cura nos iam non debet exercere. Apud SVICERVVM in thesauro eccl. sub voce σημεῖον leguntur loca, vbi scriptores ecclesiastici inter σημεῖον et τέρατα disserim faciunt. Videtur h̄ic pertinere locus, Act. II, 19. Καὶ δύο τέρατα ἐν τῷ στρατῷ ἦν, καὶ σημεῖα ἐπὶ τῆς γῆς πάτω κ. τ. λ. coll. Ioel, III. vbi tamen verba in textu ebraeo, et apud LXX haec

haec leguntur: **וְנַחֲתֵי מִזְמֹרֶת בְּשָׁמִים — יְבָאֵץ**, καὶ δώσω τέρετον ἐν ὕδασθ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς αἷμα καὶ πῦρ κ. τ. λ. Petrus, Apostolus, in oratione, quae est Act. II. Christum, v. 22. vocat: ἀνδρα ἀπὸ τῶν θεῶν ἀποδεξιγμένον — δυνάμεσι, καὶ τέρετοι, καὶ σημεῖοις. (conf. 2 Thess. II, 9.) Et v. 43. generatim Lucas refert istud: πολλά τε τέρετα καὶ σημεῖα διὰ τῶν ἀποστόλων ἐγένετο. ARISTOTELES σημείον et τεκμήριον differre inter se dicit, Rhet. S. I. c. 2. ISOCRATES ad Demonicum: πρώτον μὲν δύναται τὰ πρᾶτα τερετά, μὴ μόνον θύειν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ὄγκοις ἐμμένειν ἐκεῖνο μὲν γαρ τῆς τῶν χρημάτων ἐνποστασίας σημείον: τοτε δὲ τῆς τῶν τρόπων παλοναγαθίας τεκμήριον. Sed paucis rem conficiemus, quam nostram iam esse nolumus. Quod hic adeo discriben, sine dubio non est in voce, sed in re, per vocem, significata, atque in ratione denominandi, ut e.g. miracula dicantur δυνάμεις, ob originem suam, σημεῖα, quia vim diuinam indicant, θαυμάσια, quia admirationem excitant etc. Semper autem unus et ipse agit deus, miraculorum auctor, ita, ut, vel nubem etiam excipiens, vel nulla quoque specie externa induitus, coelo quasi descendat. Esse hic intelligimus differentiam, non autem dei, qui, sed modi, quo descendit deus.

### §. III.

Quae itaque ex simu naturae gignuntur, et ex radicibus, a deo, per naturam, diffisis, vi sua ingenita efflorescent, miracula vera non sunt. Vera enim miracula non solum omnes vires naturae hominumque superant, sed a nulla etiam alia, nisi ab infinita et liberima potentia, proficiuntur. Atque hanc miraculorum generalem quandam ideam, formam et exemplar ponimus, ut miraculum sit: *opus dei supernaturale in Jēsus incurrens, praeter solitum ad confirmationem diuinae veritatis productum, conf. V. O. E. T. Disp. Sel.*

D

Tom.

## XXVI

Tom. II, p. 965. utque, monente DANH AVERO, in Theol Conf. T. II. p. 55. seqq. in miraculo non solum τὸ θεῖον sed omnium maxime debeat adesse τὸ ὑπερφυσικὸν καὶ αἰδητόν. Differt enim τὸ θεῖον a miraculo, proprio dicto, ita, vt in omni miraculo τὸ ὑπερφυσικὸν καὶ τὸ αἰδητὸν semper sint requisita necessaria, cum contra ea aliquid possit esse θεῖον, quod propterea miraculum non est. Obseruamus hoc loco et istud: Miraculum esse opus supernaturale, vel secundum substantiam effectus, vel secundum modum efficiendi.

## §. IV.

Exinde miraculum talis est effectus, cuius *causa efficiens* vires naturae, vel in se, vel ex hominis dispositione spectatae, esse non possunt. Non enim proficisci potest ab eodem principio, quod id ipsum longe superat, et πράγματος, ἢ τὸν λόγον ἐπιγνώσκομεν, τέττα ή Φύσις γέλε θάνατον, γέλε σημεῖον. Neque etiam angeli, quamvis spiritus sint intelligentia, voluntate, et potentia agendi praediti, miracula vera, αὐτοκατακλύσις, possunt efficere, cum vires ipsorum sint finitae, et virium ipsarum applicatio senon extendat ad illud, quod ipsas vires excedit. Singulare est artificium, quo MALEBRANCHIVS quandam, dans Traité de la Nature et de la Grace, pr. disc. pr. part. angelis in V. T. facultatem, miracula edendi, voluit vindicare, vt statueret: facta esse miracula per voluntatem quandam dei generalem, quam angeli deinde, ex libero, eoque suo consilio, ad causas speciales determinassent, vt angelos summae suae potentiae quasi dispensatores in V. T. habuisset deus incers. Sed haec, et sexcenta alia, dicuntur, non probantur. Solum deum trinum miraculorum verorum esse auctorem verum, probat sacrarum literarum principium αὐτόπτερον innumeris in locis, Exod. 34, 10. Ps. 77, 15. Ps. 136, 4. Exod. 8, 19. Ioh.

Ioh. 3, 2. etc. Idem euincitur ex ipsa natura et interna miraculorum constitutione, quae ex motus et naturae legibus suspensis nullo modo potest explicari. Quae autem, cum existant, ipsi naturae, tanquam causae, penitus negantur, ea naturae auctori penitus assignantur, cum alias existere non potuerint. Necesse etiam est, ut miracula habeant finem, quo existant, et ad quem se referant. Quis autem dixerit unquam, naturam, quae ipsa est creata, et ad fines ordinata, excluso et dimisso deo, finem sibi concipere, aliquid creare, effectusque, supra ipsam naturam positos, producere posse?

## §. V.

Solus ergo Deus, qui fraena tenet naturae, verorum miraculorum solus effector est. Non autem excluduntur hoc loco *causae secundae*, et *physicae*, siue ipsius naturae vires, vt pote, quae, sicut ipsa natura, in miraculis patrandis, interdum supponuntur, hac scilicet lege, ut simul operentur, et concurrant, ad antecedentia, aut praeparatoria, et ad adjuncta concomitantia, aut consequentia, et ut in omni, si qua est, causa secunda, semper adsit potentia, concipiens quasi miraculum, quae in quibusdam in actum deducitur, in aliis vero non deducitur, v. g. Matth. III, 9.  
 $\ddot{\sigma}\tau\; \dot{\delta}\dot{\nu}\dot{\alpha}\dot{\tau}\dot{\alpha}\dot{\mu}\;\dot{\delta}\; \dot{\epsilon}\dot{\theta}\dot{\sigma}\; \dot{\epsilon}\dot{\kappa}\; \dot{\tau}\dot{\alpha}\dot{\tau}\dot{\alpha}\dot{\nu}\; \dot{\epsilon}\dot{\gamma}\dot{\epsilon}\dot{\iota}\dot{\epsilon}\dot{\eta}\dot{\epsilon}\dot{\zeta}\dot{\eta}\; \dot{\tau}\dot{\kappa}\dot{\nu}\dot{\alpha}\dot{\mu}$   
*Potest deus facere*, ut ex lapidibus his filii surgant Abrahamo — quod, quamvis nunquam factum sit, tamen, si deo visum esset, potuisset fieri. coll. Gen. 17, 17. Rom. 4, 19. Ita ventus etiam, quod suum erat, quodque poterat, faciebat in exsiccando mari, Exod. 14, 21. Sed istud probe et monendum, et tenendum est, ad miraculi formam, et internam constitutionem causas secundas nullo modo pertinere, aut aliquid facere.

## D 2

## §. VI.

## XXVIII

### §. VI.

Quid? quod si quereratur: Vtrum, et qua ratione palium Eliae, ossa Elisaei, semicinthia Paulli, umbra Petri, tunica Christi, lутum, sputum etc. eorumque tactus seu applicatio ad corpora vim aliquam attulerint ad miracula? Nos respondemus: illud factum esse, nec efficientia physica, nec morali, tanquam causa, nec aliqua conditione, tanquam necessarium antecedens, seu praerequisitum, quippe quae non producent, orant, impetrant, imperant, etc. sed tantum tanquam adiunctum, siue concomitans, siue consequens, aut signum aliquod arbitrarium admonitionem, aut excitationem, aut recordationem aliquam adhibitum. cf. G I S B. VOETIVS Disp. Sel. T. II. p. 990. Et quae in Lazaro, aliisque mortuis, qui in vitam restituti sunt, vis fuit in vitam redeundi? Reuocati tamen sunt in vitam, et restituti.

### §. VII.

Diximus, in omni miraculo non solum esse debere τὸ ὑπερφυσικόν, sed etiam τὸ αἰδητόν. Τὸ ὑπερφυσικόν designat naturae, in edendis miraculis, impotentiam, assignataque tales effectus, qui naturam superant, causae eidam infinitae, et summe potenti, Deo scilicet soli; τὸ αἰδητόν vero, siue, quod sensibus externis percipitur, ad miraculi formam, et naturam definiendam, necessario quoque pertinet, multis de rationibus, quarum duas iam in medium afferre volumus. Primo: miracula ex summae et absolute potentiae fonte profluunt. Cum autem absolute dei potentia non tam in spiritus, quam in corpora atque materiam agat; necesse est, ut istud, quod in sensibus externis efficitur, in iisdem quoque sentiatur et percipiatur. Non quidem ad ipsam vim efficiendi, omnino autem ad effectus φύσιν pertinet τὸ αἰδητόν,

τὸν, quapropter miraculum est ἀγνωστόν, cognitione intellec-tuali, γνῶσον vero, cognitione sensuali, maxime si ad effe-ctus, qui inde sequuntur, attendamus, v. g. Matth. XI, 4. XIV, 26. Omne miraculum sit ὑπερφυσικός; et, quod re-uerba factum sit, in genere scitur αἰδητός, quemadmodum in sacris literis legimus, miracula semper hominibus praesen-tibus, et sentientibus, atque, ex perceptione, simili rei fa-ctae consciis, perpetrata esse. Secundo: τὸ αἰδητὸν ad mi-raculi constitutionem pertinet, ea de ratione, ut talis effe-ctus distinguitur ab illis dei actionibus, quae vel intra dei-tatis finum se continent, vel extra istum se efferunt, et qui-dem, in his posterioribus, partim, in ordine, quo regene-ramur, iustificamur, et renouamur, partim etiam, extra ordinem, a deo, in salutis nostrae negotio, constitutum, quo referimus omnem reuelationem, inspirationem, visio-nem, ecstasi etc. in quibus viuenteris quidem est τὸ θεῖον et ὑπερφυσικόν, non autem τὸ αἰδητὸν, quod scilicet in spiritum proprie non eadit. Hae ipsae, de quibus dicimus, dei actio-nes, quae quidem, si originem spectes, pariter, ut in mira-culis, sunt ὑπερφυσικαὶ, tamen non aliter, quam in effectibus suis, et circumstantiis, incurrire possunt in sensu externo.

## §. VIII.

Exinde consequitur, totam quidem naturam creatam, ipsoque adeo, certis tamen sub legibus, spiritus esse quasi campum, quo summa dei potentia fere, extra ordinem, et modo insolito, manifestet. Quodsi autem de miraculis stri-ete dicamus, atque in iis ad τὸ αἰδητὸν maxime respiciamus, tunc patere arbitramur, quod vis miraculosa in primis ver-setur in materia, et illis naturae partibus, quae sensibus per-cipiuntur. Pleraque Christi et Apostolorum miracula facta sunt in corporibus hominum, qui vel viviebant, vel mortui

D 3

erant.

XXX

erant. Constat etiam ex literarum sacrarum monumentis, nullam plane rem creatam, nullumque corporis humani esse fere membrum, cui non summae potentiae sigillum per miracula a deo fuerit impressum. Facta enim et proposita sunt miracula in coelo, sole, stella, nubibus, terra, mari, fontibus, arboribus, virga, asina, oculis, auribus, lingua, pedibus etc. Caeterum quod praeter naturae legem et parcus haec omnia sint effecta, illud praescribit indeoles miraculorum, quae, si essent solita, et quotidie fierent, summae quidem, ut sunt, potentiae diuinæ documenta, non autem miracula forent,

§. IX.

De modo, non quo miracula sunt, sed quo sese, postquam facta sunt, sicut sunt, a Theologis etiam solent quaedam proponi. Doctores, quos vocamus, scholastici, multa hic proloquuntur, ut eorum verbis vnamur, de miraculis, vel simpliciter, vel secundum quid, vel priuatiue, vel positivue talibus. Alia dicunt miracula esse mediata, alia immediata, alia denique maiora, alia minora. Mentem cogitationemque subesse his tam scrupulose factis in partes diuisionibus negare non possumus, quamuis nos quidem hoc rei caput esse statuamus, ut haec diuisiones accipientur, non tam de vi ipsa diuina, quam de effectu, effectusque editi diuerso modo et ratione. Nulla enim miracula, prout scilicet deus illa efficit, mediis opus habent, et causis sociis. Rectius itaque nobis videntur dici patrata, sub occasione aquae, panis, arboris etc., ita tamen, ut vis naturae, quae adeat, maneat, ut autem ipsa ad effectum, qui natura est superior, nihil faciat et conferat. Possunt alia miracula dici maiora, alia minora, si circumstantias personarum, temporis, et commodorum spectemus; non autem hoc ipsum affirmari potest, si ad primam miraculorum causam et auctorem

auctorem animum aduertamus. Exempla quisque valet capere ex scripturis diuinis, cum scilicet numerolissima gens Israelitarum, et cum, e contrario, solus Eliseus per Iordanum transiret. Ios. III. IV. et 2 Reg. II. Vna est vis ἐνεγκυτηρίη, quae, ut est vis, nunquam multiplicatur; plura autem, ratione quadam, sunt ἐνεγκυματα, quemadmodum eadem quoque, qua totus orbis factus, opus est potentia, ad procreandum vnicum ex nihilo lapillum. Breuiter: cum effectus sit supra naturam; etiam modum efficiendi oportet esse supra naturam, supra que omnem nostram intelligentiam.

## §. X.

Nihil denique eorum, quae facit deus, sine *ratione* et *fine* facit, et cum hic deus, qui habet finem, sit summe bonus, sapiens et iustus, ipse etiam finis, quo deus agit, alius esse non potest, nisi bonus, sapiens, et iustus. Applicemus hanc affirmationem ad miraculorum efficientiam. Ex iis, quae iam proposita sunt, certum esse putamus, quod neque deus ipse, neque etiam prophetae et apostoli, quorum ministerio deus hac in re visus est, in patrandis miraculis hunc habuerint finem primarium, ut miracula essent nostrae fidei principium, in quod ultima quasi fieret analysis. Οὐκ ἀπὸ τῶν σημείων δὲ πισένειν θώσ, ὡς ἀπὸ τῶν γεωφῶν ηγετικῶν πτερίς ἀπὸ τῶν γεωφῶν ἔστι. THEOPHYL. in Cap. VII. Ioh. Scripturae diuinae sunt βεβαιότερος ὁ περὶ φυτοῦ λόγος, 2 Petr. I, 19. Quum surgens in medio tui propheta, aut somnians somnium, ediderit tibi signum, aut prodigium, σημεῖον η τέρας; Quamvis eueniat signum illud, aut prodigium, quod praedixerat tibi, dicendo: Sequamur deos alienos, quos non noueras, et colamus eos: Ne auscultato verbis prophetae illius, aut isti somnianti somnium, quia tentat Iehoua deus vester vos, ad cognoscendum, an sis amantes dei vestri

## XXXII

vestri ex toto corde vestro, et ex toto animo vestro. Deut. XIII,  
v. I. seqq. Διδασκόμεθα δὲ μὴ προσέχειν σημεῖοις, ὅτι ἡ ὁ  
τὰῦτα δέων ἐννοίᾳ τῇ ἐντελείᾳ διδάσκει: Instruimur autem,  
non attendendum esse signis, quando is, qui edit illa, pietati  
contraria docet. THEODORETUS, ad h. l. T. I. p. 271.  
Edit. Schulz. Nihil ergo signa probant, atque miracula,  
nisi iam praefructa sit ex suis rationibus ipsa veritas, ad quam  
et nostrae fidei ultima fiat analysis. Iohannes, c. XX. de  
miraculorum Christi numero maximo iniiciens mentionem,  
v. 31. addit: ταῦτα δὲ γέγονται, haec non tam facta, quam  
scripta sunt, eo videlicet fine, ut credatis. Omnis propo-  
sitio logice, atque ex suis causis et principiis, debet esse ve-  
ra, priusquam illius veritas per miracula potest confirmari.  
Loquimur autem nos hoc loco de fine primario.

## §. XI.

Nihilo minus fatendum est nobis, miracula, quamuis  
ipsam fidem neque proxime quasi ingenerent, neque fidei  
fundamentum constituant, ex voluntate dei eum tamen habere finem, ut potentiae diuinae sint documenta, ut verita-  
tem scripturarum et praedictionum confirmant, ut eorum,  
qui aut spectant, aut ipsi experiuntur diuinam ἐνέγκειαν, ani-  
mos excitent, et commoueant, quo ad obsequia mentis  
fiant inclinatores, et festinanatores. Solent alia irae et  
poenae, alia vero gratiae et auxilii dici miracula, et ratio  
dispescendi sine dubio defumenda quoque est ex eo fine, quo  
deus haecce facit miracula. Atque deo certe dignum est,  
cum improbos sceleratosque homines compescere, et extin-  
guere, ne ulterius noceant, Num. XVI. Act. V. tum  
bonos probosque defendere et iuuare, ut eo magis confir-  
mentur. Vtrumque, ut ordinata, ita etiam absoluta, et,  
ex improviso, quasi coelo dilapsa potentia, a deo potest  
effici

### XXXIII

effici, et effectum est. Eodem fine miracula, quae vocantur, doctrinae, ad veritatem declarandam, prouidentiae autem ad hominum stabiliendam felicitatem externam tendunt, qui finis deo, miraculorum effectori, recte quoque conuenit.

#### §. XII.

Quod autem facultas, edendi miracula, fuerit *ex dono dei singulari*, illud intelligimus ex his potissimum rationibus: Vindicatur haec vis in sacris literis soli deo, e. g. Psal. LXXII. 18. *benedictus fit Iehoua deus; Deus Isrælis,* עֶשֶׂר בְּנֵי אָמֹן לְבָרוּךְ הוּא ποιῶν θαυμάτων μόνος. ut exinde, quicquid in hoc miraculorum negotio effectum est, si primam causam respiciamus, a deo effectum sit. cf. Exod IV. 10. III. Act. II. 19. δώτω τέρατα — dabo prodigia. Verum itaque est etiam, hanc vim fluere neque ex ordine et viribus naturae, neque ex ea dispositione, et interpunctione quasi, qua humanus intellectus ex artis principiis, naturae vires ad diuersos effectus ordinat. Effectus enim ipsi, quanquam, ut tales, non sint in rerum natura, naturales tamen sunt. Et cum denique omnis miraculorum ordinatio per omnia pendeat ab arbitrio diuino, quod tum sapientissimum et optimum, tum etiam liberrimum; aperte consequitur; illud, quod est in deo conferente arbitriatum, et liberrimum, in homine, cui confertur, et qui recipit, esse debere ex gratia, atque ex dono recipi et administrari. cf. D. IOHANN AVGVST ERNESTI, Germaniae ornamenti, vindiciae arbitrii diuini in religione constituenda. Opusc.

Theolog. p. 190 - 324.

#### §. XIII.

Cum disputemus contra opinionem, qua praesumitur, nostris etiam temporibus donum miraculorum vigere debere;

E

locus

locus hic esset aptissimus tractandi hanc quaestionem;  
*Quousque in ecclesia haec dona miraculorum quondam viguerint,  
 atque durauerint?* Sed ac istud, afferamus nos, quod est in  
 proverbio: Χιος πρέσεις κώνων; occupatam iam scimus esse hanc  
 prouinciam a viris doctissimis, et in historia ecclesiastica ver-  
 satissimis. Quod donum miraculorum cum apostolis et vi-  
 ris apostolicis non statim desierit, monumenta historiae sacrae,  
 e quibus tota quaestio debet iudicari, docent tam indubitate,  
 ut apud peritos testimonii allegandis opus esse non videatur.  
 Neque de saeculo secundo, vel etiam tertio, post natum Chri-  
 stum, fides historica in hac re est plane suspecta, cum con-  
 tra ea, ex CHRYSOSTOMO Homil. 49. in Matth et in cap.  
 17. Matth, atque ex AVGUSTINI testimonii, de Vera Rel.  
 c. 25. et de Vtil. cred. c. 16. aliter et cautius sit iudicandum,  
 de saeculo quarto, vel quinto. Ita AVGUSTINVS Retract.  
 L. I. c. 13. profitetur: *miracula, licet non omnino  
 deserit fieri, tamen fieri tanta vel omnia, vel ita, ut  
 initio, et iam communiter, desisse.* Videmus, inquit  
 idem AVGUSTINVS, de C. D. L. XXII. c. 8. *Videmus,*  
*antiquis similia diuinarum signa virtutum etiam nostris tempo-*  
*ribus frequentari.* THEODORETUS, Opp. T. V. p. 1399.  
 edit. Schulz. propheticam vim adhuc sua aetate supereesse te-  
 flatur. Ex quo simul perspicimus, quam inter se hi testes  
 in suorum temporum causa confiant et dissentiant. Cum-  
 que deinde nullum fere, a quarto et quinto, sit saeculum,  
 quo non quidam, vel τεράτων καὶ οηγέων τέκτονες, vel ef-  
 fectores, extiterint, quorum gregem, ex saeculorum serie,  
 et ordine quasi facto, produxit in scenam GISEB. VOETIUS  
 Dispp. Select. T. II. p. 1012. seqq; sagaciter prouidendum  
 est, ne fraudem pro historica fide, et meretricem pro luno-  
 ne amplectamur. Pro eo confilio, quo nos scribimus,  
 nostra maxime refert, non tam recensere, quid, sub rei  
 chri-

christianae incunabulis, per ipsum deum vere, et, posteriobus saeculis, per artifices, frauulenter factum sit, quam potius cauere, ne in nouam superstitionis barbariem quan-dam misere demergamur.

## §. XIV.

Spinosa quoque est quaestio: *Qua ratione habuerint donum miraculorum apostoli, aliqui viri sancti, et vtrum istud factum sit, vel per εξω, perpetuo durantem, vel per motus tantum transeuntes, vel per actus, ex fidei habitu elicitos.* Nos praemonemus, vim miraculorum efficiendorum vel non posse conferri, vel non esse collatam, ipsis hominis essentiae, eo modo, vt homini semper sit naturalis, naturaeque humanae proprietas perpetua. Existimamus autem, hanc vim, et haec dona homini potuisse inesse, tanquam perfectionem, et priuilegium, quod acceperit extra ordinem, atque per modum εξεως, ita, vt apostoli aliqui sancti viri, per ελλαυψω, extra ordinem quoque superuenientem, vere scierint: Hanc vim miraculosam deum ipsis conferre velle; et vt certe secum intellexerint: hanc esse personam, hoc esse tempus, hunc esse modum, quo vis diuina, ipsis collata, deberet ab ipsis, in hoc actu, administrari. Sine dubio sancti viri, illusiones inter atque reuelationes, ipsas visionum voces et imagines potuerunt discernere, quodam intimo sensu, cuius autem criteria certa nos, quibus id ipsum non datum est, allegare non possumus. Factum hoc esse scimus, vel praemonente deo, vel per somnia, vel etiam per commotiones internas, quales in Petro et Iohanne videntur esse suscitatae, Act. III, 4. ubi Lucas refert haecce: Petrus et Iohannes simul ascendebant in templum, sub horam precationis. Quidam vero vir, claudus ab utero matris suae apportabatur: Quem ponebant quotidie ad portam

portam templi — vt peteret eleemosynani ab ingredientibus in templum. Is, quum vidisset Petrum et Iohannem ingressuros in templum, rogauit, vt eleemosynam acciperet Αἰτίας δὲ Πέτρος εἰς ἀντὸν σὺν τῷ Ιωάννῃ, ἐπειδὴ Ελέφον εἰς ἡμᾶς. Intentis autem in eum oculis Petrus cum Iohanne dixit: Aspice ad nos.

## C A P. II.

Duo sunt in hoc capite probanda, scilicet: *Donum miraculorum neque esse a deo nostris temporibus promissum, neque etiam esse necessarium.* Non opus est, vt in hac demonstratione multi finius atque longi, partim, cum ea, quae Secl. I. c. 2. dicta sunt, suo modo hoc quoque pertineant, partim, cum, quod de toto genere verum est, etiam in diuersis suis speciebus, sub uno tamen miraculorum genere contentis, pariter verum et certum debeat esse.

## §. I.

**Q**uod autem, primo, nulla de miraculorum dono aliquando, et, hac nostra imprimis aetate, reparando, a deo facta sit promissio, concludimus: ex silentio ipsius dei in sacris literis, cuius priuilegii, si quam spem nobis facere voluisset deus, promissio et sponsio certa debuisse fieri in sacris literis. Qua vero de promissione cum scripturae divinae taceant; nostrum non esse videtur, istius generis aliquid sperare. Quid? quod per ipsas scripturas deus multis in locis, multisque etiam verbis grauiter admonet de cauendis iis, qui miracula iactant. Deut. XIII. et XVIII. Ef. VII. Matth. XXIV. 2 Thess. II. AVGVSTINVS, contra Faust. Manich. L XIII. c. 5. miracula, inquit, non facitis, quae si faceretis, etiam ipsa in vobis caueremus, per instruentem vos dominum, Matth. 24. Exsurgent Pseudoprophetae, facient signa

*signa et prodigia etc. usque adeo nihil credi voluit aduersus confirmatam scripturae autoritatem.* Praedixerunt Christus et Paullus, venturos esse miraculorum artifices, tanquam seductionis pestem; non autem promisit Christus, ut venirent, tanquam generis humani adiutores beneficii. Deinde in eorum animos sese insinuat maxime ἐνέργεια πλάνης, qui τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας εἰς ἑδέξαντο εἰς τὸ σωθῆναι αὐτός. 2 Thess. II. 10. Quia de ratione nemo quoque facilius miraculis falsis fidem habet, quam qui veritatem vel ignorat, vel illi, cum non ignoret, assensum non praebet. Quibus igitur hominibus deus miracula promisisset? Isne, qui veritatem, veritatisque contemnerent auctorem? Et si quis eo arrogantiae vellet progredi, ut, quae, e. g. Marc. XVI, 17. 18. et Act. II, v. 17. promissa sunt apostolis, ad se, suamque aetatem, traheret; ei omnem fidem esse denegandum censemus, donec argumentis firmis euicerit: *Se esse ad dignitatem apostolicam eum.* Ipse denique deus nos ablegat ad scripturas, et apostoli nihil unquam confirmarunt miraculis, quod non disertis verbis etiam docuerunt. Act. XX, v. 20. 27. XXVI, v. 21. Christus reprehendit eos, qui verbo dei praeferabant signa, Ioh. IV, 48. coll. Matth. XII, 39. Quomodo itaque res illa potuisse a Deo promissa esse, de qua omnis scriptura tacet, a qua deus ipse praecipit, ut nobis caueamus, quae odium contemptumque veritatis praefructu, et de qua, si a quibusdam fuerit postulata, habemus ipsum Christum, Deum, reprehendentem, et improbantem? Respicimus autem nos in primis ad miracula doctrinae.

## §. II.

Neque etiam haec dona, extra ordinem contingentia nostris temporibus, nostraeque conditioni, ad diuinum finem adsequendum, sunt *necessaria*, ea scilicet necessitate,

E 3

quae

## XXXVIII

quae omnes conditiones recusaret, et absoluta esset; quos limites hic ducimus, ideo, quia sunt, qui statuant, apud gentes barbaras, et a vera religione plane alienas, etiam nunc locum miraculis esse posse cum vtilitate. Nos autem, qui plena Euangeli luce fruimur, quorumque in auribus sunt eloquia dei, his donis, hisque miraculis, carere recte possumus. Rationes, quibus permoti hoc affirmamus, cum lectoribus nostris breuiter communicabimus.

### §. III.

*Primo, atque generatim: quam a deo voluntatis suae reuelationem, et quam firmam stabilemque salutis regulam acceperimus in sacris literis, ex iis patet, quae iam sunt proposita. Ad scripturas itaque diuinias confugiamus, in iis audiamus deum loquentem, in eius praescriptionibus et prmissionibus fundetur omnis fides nostra atque spes. Ut ipsi deo credamus, nil opus est miraculorum praeconio, cum, nisi deus esset, auctor, nulli etiam miraculorum forent effectus. Miracula dant aditum ad fidem et religionem; ad ipsam vero religionis formam et internam constitutionem plane non pertinent. Veritas enim est, cui fidem habemus, Christus est, cuius sanguine sumus in libertatem vindicati, et ad vitam euecti, spiritus sanctus est, qui nos dicit in omnem veritatem, quae vniuersa, et si quidem ab inexhausto, tamen a naturali suo, et ordinario, fonte proficiuntur. Quid? cum ipsa religio, verique dei cultus viguerit, et etiam nunc vigeat sine miraculorum adiutorio, ut nihil minus spes nostra et beatitas salua sit et immota; cur dubitemus, vel quaeramus: an religio sine miraculis esse, et veritas diuina absque miraculorum clypeo tuta esse possit? Nathan, Gad, Hoseas, Amos, Joel, Obadja, Iermias, Esra, Nehemia, Habakuk, Sephanja, Haggaeus, Scharija,*

charja, Malachias, Iohannes Baptista, Anna, Agabus etc. prophetae fuerunt, et religionis paecones, a quibus tamen nulla leguntur miracula esse patrata. Et nullus certe locus erit miraculis aliquando in vita aeterna, vbi tamen con-  
summata et perfectissima erit nostra felicitas.

## §. IV.

*Secundo, et speciatim:* miracula nostris temporibus non sunt necessaria, si ea aestimemus fine illo, quem Deus trinunus, pro sua bonitate et libertate, sibi proposuit, siue is finis sit *institutionis*, siue *emendationis*, siue denique *confirmationis* nostrae. Nam, vt ab *institutione* ordiamur, miracula eum finem primario non habent, vt, quid verum sit, vel non sit, praeter scripturas, doceant. Confirmant eum, qui ex scripturis iam est institutus, vel excitant etiam, vt *institutionem* eo facilius admittat; sed eo fine a Deo non proponuntur, vt sint fidei, et confessionis nostrae fundamen-  
tum primum. Sect. II. Cap. I. §. 10. et 11. Cum itaque miracula postulentur propter finem *institutionis*, hic autem finis non, nisi in persona tali, quae aliquid noui renuntiare possit, locum habeat; hinc semper fuerunt, qui ex mortuis, si qui in vitam redirent, maluerint, quam ex sanctis scriptu-  
ris et viuis ecclesiae doctoribus institui. Neque etiam illi, quamvis mendacium ad veritatis similitudinem effingant, ha-  
bent, cur, fine bono se agere, contendant, cum ipse hic finis sit nullus et effectus, vel adeo in scripturas diuinias in-  
iurius. De nostris temporibus videtur cecinisse TERTULI-  
LIANVS, L. de anima, c. 57. *Ecce, inquit, ecce, hodie eius-  
dem Simonis haereticos tanta praesumitio artis extollit, vt  
etiam prophetarum animas ab inferis mouere se spondeant.  
Et credo, quia mendacio possunt; nec enim pythonico runc spi-  
ritui minus licuit animam Samuelis effingere, post deum mor-  
tuos*

*tuos consulente Saule. Absit alioquin, ut animam cuiuslibet  
 sancti, nedum prophetae, a daemonio credamus extractam,  
 edotti, quod ipse Satanus transiguretur in angelum lucis, ne-  
 dum in hominem lucis, in deum se adseueraturus, signaque  
 portentosiora editurus, ad euertendos, si fieri possit, electos.* —  
*Nulli autem animae omnino inferos patere, satis Do-  
 minus in argumento illo pauperis requiescentis et diuitis inge-  
 miscentis ex persona Abrahae sanxit, non posse relegari re-  
 nuntiatorem dispositionis infernae.* — *Sic et in illa specie  
 Magiae, quae iam quiescentes animas euellere ab inferis cre-  
 ditur, et conspectui exhibere, non alia falacie vis est opertior;  
 plane, quia et phantasma praestatur, quia et corpus adfigi-  
 tur: nec magnum, illi exteriores oculos circumscribere, cui  
 interiorementis aciem excoecare perfacile est.* Haec **TER-**  
**TULLIANVS**, de ipso mortuorum euocandorum vel mi-  
 raculo, vel fraude. Atque etiam vero miraculo mortui  
 restituerentur ab ipso deo, ad *religionis institutionem*  
 tamen neque necessarii, neque apti forent isti praeco-  
 nes. Exprimamus cogitationem sententiamque nostram  
 verbis **CHRYSOSTOMI**. Locus paulo prolixior est, ex ea,  
 quam allegauimus Hom. IV. de Lazaro, quem vero locum  
 non piget, hic transcribere, ex interpretatione Erasmi Roter:  
*Ne igitur, inquit CHRYSOSTOMVS quaeramus haec  
 audire a mortuis, quae multo clarius nos docent sacrae literae.  
 Nam si nouisset hoc deus, quod mortui excitari viuentibus es-  
 sent profuturi, nequaquam omisisset, neque tantum lucrum  
 praeteriisset, qui cuncta nobis utilia procurat. Ad haec si assidue  
 erant excitandi mortui, nobisque, quae illuc geruntur, renun-  
 ciaturi, et hoc ipsum progressu temporis fuisset contemtum;  
 praeterea peruersa etiam dogmata diabolus inuexisset, idque  
 adnodum facile. Potuisse enim frequenter ostendere simulacula,  
 aut subornare, qui simularent mortem ac sepulturam, mox  
 rur-*

sursus sese ostenderent, quasi e mortuis excitatos, ac per illos quaeunque vellet persuadere delusis. Etiam si nunc, quum tale nihil sit, insomnia frequenter dormientibus visa veluti eorum, qui hic decesserunt, multos decepterunt, perdiderunt, subuerteruntque; multo magis id accidisset, si hoc factum fuisset, atque in mentibus hominum obtinuisse, videlicet si multi defunctorum rediissent in vitam, innumerabiles sceleratus ille daemon dolos texuisse, multamque fraudem in vitam hominum induxisse. Eosque deus oculis fores, nec permittit aliquem defunctorum huc reuersum narrare, quid illi fiat, ne ille, accepta occasione, technas suas omnes inuehat. Nam quum essent prophetae, pseudoprophetas excitabant, cum essent apostoli, pseudapołolos, quum Christus appareret, pseudochristos, quin dogmata sua inducta essent, corrupta inducebat, ubique disseminans zizania. Atque etiam si illud eueniisset, hoc quoque conatus fuisset fingere per sua organa, non vere excitatis mortuis, sed maleficiis quibusdam ac fraudibus contuentium oculis deceptis, ac quosdam etiam subornans, quemadmodum dicere coeperam, qui mortem simularent, sursum deorsum miscuisset confusissetque omnia. Sed deus, quem nihil latet, praeclusit illi viam ad has insidias, nobisque parcens non permisit, ut quisquam illinc huc reuersus de iis, quae ibi sunt, narraret viuentibus; docens nos, ut scripturis potius credendum existimemus, quam caeteris omnibus, propterera quod deus resurrectionis negotium multo dilucidius nobis monstrauit. Et ut omnem nostram rationem sentiendi ex ore CHRYSTOMI effundamus, addimus hunc illius locum, ex Hom. XXIV, in Ioh. Nonne et nunc quoque signorum petitio tentantium est? Sunt sane et hac nostra aetate, qui quaerant: Quare et nunc signa non fiunt? Si fidelis es, ut oportet, si Christum diligis, ut diligendus est; non indiges signis. Signa enim incredulis dantur. — Et si Iudei petentes aliquando non acceperunt.

F

ideo

*ideo factum est, quoniam non, ut ab incredulitate desisterent,  
quaerebant, sed ut magis malitia sua obduresceret.*

## §. V.

Non sunt ad finem emendationis et αναγνώστεως necessaria miracula, ita, ut nullus homo possit intellectus lucem, bonam voluntatem, et iustificationis sumnum impetrare thesaurum, nisi illud fiat miraculorum ministerio. Dictum iam est de eo, quod miracula primario versentur in materia et corporibus, quodque non, nisi in effectibus suis, sese exserant in mente. Qua igitur ratione illud ad flectendam et emendandam mentem poterit dici absolute necessarium, quod ipsam mentem proxime non alluit? Atque ea quoque est qualitas, sive ποίησις, et interna vis gratiae, qua deus, spiritus sanctus, nos ad recte intelligendum et appetendum instruit et reparat, ut omnia ex suis principiis et causis proprias enascantur. Ita illuminatio intellectus ex veritatis diuinae efficacia, mentis et voluntatis emendatio ex obsequio, veritati praestito, iustificatio ex fide, et applicata Christi satisfactione, renouatio denique et sanctificatio ex sacrae coenacis vnu, viriumque spiritualium, a deo, collatarum, exercitio oriuntur. Ὅτις γὰς ἔχει, δοθήσεται αὐτῷ, καὶ περισσουθήσεται, qui quis enim haberet, dabitur illi, et reddetur abundantior, Matth XII, 12. Καὶ ὁ Θεὸς εἶπεν, ὁ ἐνεργῶν — καὶ τὸ θελεῖν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, deus est, qui operatur — ταῦτα velimus, quam ut efficiamus. Phil III, 13. Nulla vnuquam mentis et voluntatis emendatio, si ipsius ποίησις spectemus, fuit miraculosa quamvis circumstantiae correctionis externae fuerint miraculose, quod in PAVLLO, SERGIO, aliisque factum esse scimus. Exinde non tam emendari, quamad emendationem recipiendam praeparari et excitari possumus miraculorum dono. Cum itaque miracula, ad finem ipsius emendationis

dationis obtinendum, ex indole sua, non sint apta, cumque in scripturis sacris, in misericordia diuina, in vulneribus Christi, in Spiritu sancti *ένεγκτια*, et ipsis sacramentis iamiam aperti sint imaginis diuinæ renouandæ fontes viui; hinc etiam intelligitur, partim, iisdem miraculis ad totum emendationis et *ἀνανέσθετος* finem nihil opus esse, partim, ea, quae deus ordinavit ad salutem, media, pio gratoque animo, suscipienda esse, partim, nulli vñquam homini licere atque concessum esse, vt ordinem salutis, per verbum et sacramenta a deo confirmatum, tenere retractet, aut aliam, ex ingenio, sternat viam ad aeternam felicitatem. A quo enim deo vitam aeternam ipsam accipimus, ab eodem deo subsidia modumque consequendi, summa cum securitate, possumus debemusque etiam accipere. Apud Iohannem, c. X. v. 21. de Christo, qui, post redditum caeco cuidam visum, multa praeclare docuerat, legimus, quod eorum, qui spectatores et auditores adfuerant, alii ipsum commercii diabolici et insaniae accusarent, eumque haberent, qui audiendus non esset, quodque alii, aequiores rei factae iudices, contra dicerent: *Haec verba non sunt daemonium habentis.* Num daemonium potest caecorum oculos aperire? Hi posteriores, qui Christo patrocinantur, prius doctrinae, quam operum ipsius, mentionem faciunt. Vnde patet, ipsos doctrina plus, quam miraculo, commotos esse. Nos fortassis inuertissimus. Sed illi recte faciunt. Vtraque enim faciunt ad conuerzionem hominum, Christi verba, et eiusdem opera; suo tamen ordine. Facta Christi miraculosa mouent quidem cor hominis, possunt illud attonitum reddere, et suo quodam modo ad fidem et conuerzionem praeparare. Nisi autem institutio verbi accedat, evanescit ille motus cordis, et infumum abit, sicuti in quamplurimi Iudeorum accidit. Sed quando verbum domini accedit, tum illud fidem et conuerzionem inflat, atque sic plene cor

XXXIV.

conuertit. Et quando sic animus hominis, ministerio verbi, est conuersus, et illuminatus, tum demum incipit opera dei pro dignitate aestimare, deumque in suis operibus glorificare. Ita de habitu miraculorum ad hominis conuerzionem, vel, ut in genere diximus, emendationem, statuunt summi Theologis, CHEMNITIUS et LYSERVS, in Harmonia quatuor Evangelistarum, T. I. Cap. CXV. p. 1249.

§. VI.

Est locus, Matth. XI. 21. et Luc. X. 13. qui nobis seru-  
pulum iniicere potest. Verba Christi haec sunt: Οὐαὶ τοῖς Χοραζίν, οὐαὶ τοῖς Βηθσαΐδά· ὅτι εἶ τύχω νοῦΣιδάνι εὔγένοτο αἱ δυνάμεις, αἱ γενόμεναι εἰς ἡμῖν, πάλαι δὲ εἰς σάκκῳ καὶ σποδῷ (καθή-  
μεναι) μετενόσαν. Vae tibi Chorazin, vae tibi Bethsaida! Quoniam si Tyri et Sidone editae fuissent virtutes, quae edi-  
tae sunt apud vos, olim cum sacco et cinere (sedentes) resi-  
puissent. Duo momenta Christus hoc loco proponit, videlicet, primo: alios homines, qui maxima vidissent miracula,  
ea de causa fata manere tristissima, quod per haec miracula  
non essent emendati; secundo, alios contra ea homines, qui  
hos effectus extraordinarios nunquam viderent, emendari  
potuisse, si vidissent. Quidni igitur ipsam hominis conuer-  
sionem ipsa miracula possunt efficere? Sed quemadmodum  
lectorem, si voluerit, ablegamus ad b. SCHERZERVM  
nostrum, qui, ad utrumque Matthaei et Lucae locum, Diff.  
Theol. Fas. disp. II multa egregia, et acutissima tradit;  
ita nos etiam respondemus generatim: Superflua gratia mi-  
racula sunt, quia nec necessaria sunt, nec debita. Non ne-  
cessaria, quia non omnibus, (quos tamen gratia sufficiens non  
deseruit,) concessa. Non necessaria, quia absque miraculis  
etiam conuersio absoluitur. Quod autem sufficienti gratiae  
accedit, est ex superfluo et superabundans. Talem gratiam  
habue-

*babuerunt Chorazitae. Si superabundantem, multo magis sufficientem. Chorazitae tamen huius gratiae contemtores reprobi sunt.* Haec SCHERZERVS, l. c. p. 63. Ex quo consequitur, Chorazitas excitationis medium habuisse quidem praecipuum aliquod, ut emendationem admitterent; non autem ipsos Chorazitas, si correcti essent, ab miraculorum, sed a gratiae diuinae et veritatis efficientia esse correctos. Deinde, et quod Tyrios, Sidoniosque, *speciatim*, attinet, qui haec miracula non viderunt, qui autem, si vi-  
dissent, emendati forent, ita nos censemus: Tyrii et Sidonii, quamvis non aestium, sed hibernum, solem tamen habuerunt. Non deus, quasi non satis dedisset, sed homines accusandi sunt, qui iis, quae deus, pro sapientia, bonitate, et libertate dedit, non satis recte sunt vni. Damnatur itaque Tyrii, non propter id, quod non acceperunt, sed propter id, quod, cum accepissent, neglexerunt. Et quodsi etiam Tyrii, factis his apud ipsos miraculis, ad mutanda mentis consilia essent retracti; tamen nondum consequitur: tum, quod ad hanc mentis improbae mutationem miracula fuerint absolute necessaria, cum et Niniuitae, sine miraculis, correcti sint, *ipsi que rex, operiens se cilicio, federit in cinere,* Ion. III. 6. 7. tum etiam, quod haec ipsa poenitentia sine *metavaux*, sine verbi diuini medio, proxime enata sit ex miraculorum gremio. Miracula forte emendationis necessitat m, verbum diuinum autem emendationis ipsius formam demonstrat, et describit Causa effectrix est, ex qua corrigitur homo, non autem, vnde is intelligere incipit, sibi opus esse correctione.

## §. VII.

*Deus vti conuertendi hominis, ita sanctificandi rationem omnem sic adstrinxit verbo suo, vt per id solum opus vtrumque*

perageretur a spiritu suo, non modo docendo, sed etiam efficiendo, Luc. XVI, 29. 31. Ioh. XVII, 17. 1 Petr. I, 22. 23. Vis itaque conuerti, ad fidem adduci, sanctificari? Ne longe quaere viam aut incerta spe expecta, dum tu vi diuina conuertaris, credere et sanctificari possis. Ut qui satiari vult, scit sibi cibum capiendum, et ad eum parandum sumendumque festinat; neque in eo dubitat, aut errare potest: sic tu scito, verbo diuino (quac est δύναμις θεος εις σωτηριαν, Rom. I, 16.). recte audito, lecto et cogitato opus esse, non alia re. Audies ergo, leges, et meditabere serio verbum. Et ut ille satiatur, sic tu conuerteris, credes, et sanctificabere. Quid potest esse salubrius hac tali certitudine, aut ad tranquillandum animum aptius? — Eo magis itaque repudiandi, et ultimae flultitiae accusandi sunt, qui vel malint per actionem diuinam sine verbo, h. e. per vim, quae proprie dicitur ad fidem et sanctitatem duci, siue potius trahi; vel illuminationem, fidem, et sanctitatem contingere sine verbo putant, et incerta spe exspectare iubent. Etenim peruerunt et vituperant sapientiam diuinam, repudiantque summum beneficium, eruntque in illa sua (miraculorum) expectatione simillimi rusticō Horatiano, qui non eo, quem res et ratio et usus demonstrat, modo transire flumen obiectum tentat, sed exspectat, dum desfluat amnis. Haec verba, quae ab intimo sanctificationis sapore et sensu proueniunt, repetita sunt ex ore D. IO. AVG. ERNESTI, V. S. V. Opuscl. Theolog. p. 300. 302. Quando vero meliores erunt, aut fieri poterunt illi, qui non nisi ex miraculis emendationis consilium et fructum volunt expectare? Quando satiabuntur, qui omnem, nisi per miraculum factum, atque, a cornuis forte allatum, panem et cibum sumere recusant?

## §. VIII.

## §. VIII.

At, *inquis*, nonne pii bonique homines, quorum fides est infirma, quorumque vacillat virtus, ex miraculorum dono magnum fidei incrementum, multamque animi confirmationem caperent? Ad hunc certe finem, *confirmatio-*  
*nis* scilicet, cuius in vacillatione est maxima utilitas, videntur apta esse miracula? *Apta*, *inquis*, *esse*? Damus hoc tibi libenter, puta vero, si deus ista miracula voluerit edere. Sed utrum exinde necessaria sunt ad mentis confirmationem? atque adeo necessaria, ut sine eorum fulcris nullus infirmus erigi, nullusque ὀλγόπιστος ad πληροφορίαν possit adscendere? (quasi ab eodem cibo, quo saturati sumus, non possimus etiam nutriri, et roborari!) Ολγόπιστας, si qua est, causae sunt interdum, atque saepius vel ignorantia, quae doctrina et veritatis meditatione, vel impatientia rerum aduersarum, quae patientia, vel rerum secundarum intempestiva expectatio, quae sobria virtutum nostrarum aestimatione, vel etiam atra bilis et mala corporis dispositio, quae medicorum arte corrigenda est. Plerumque in his hominibus non tam infirma, quam nulla plane est fides. Quomodo autem in veritatis intelligentia confirmari possunt, qui, quid verum falsumque sit, nondum intelligunt? Quibus columnis fieri potest, ut fulciamus aedificium, quod nondum est exstructum? Sed fac ita esse, ut fides nostra augeri, spes nostra firmari, virtusque nostra accendi possit a miraculis. Nunc autem cogitandum est nobis, fidem et spem, quamvis miraculis omnia coruscant, nihilo minus fidem et spem, siue τῶν μελλόντων esse, virtutisque amorem et ipsam morum probitatem non a miraculorum sensu influere, sed a mentis emendatione effluere. Miracula enim rei veritatem; rei autem veritas, quae instituit intellectum, et voluntatem  
 emen-

## XXXXVIII

emendauit, mentem sola confirmat. Fontes, ex quibus, vti institutionis et emendationis, ita etiam confirmationis beneficia ad nostram mentem deriuantur, sunt, vt breuiter dicamus, isti, iique inexhausti: *Primo* interna vis et efficacia scripturarum sacrarum, quae adiunctam semper secum habent spiritus Sancti *eūēḡesiār.* *Secundo* Spiritus Sancti testimonium internum, quo certi sumus, nos, per Christum, deo, patri esse reconciliatos. Rom. VIII, 16. *Tertio*, sanctissimi epuli, quod Christus, Θεονθεωτος, instruxit, pius cerebriorque usus. Si itaque credimus deo, reuelanti; quid noua reuelatione? Si deo credimus testificanti, et obsignanti; quid miraculis opus est? Et quo iure expectantur, quae deus non promisit? Quo nomine expostulantur, quae, in tanta Euangelii luce, nostris temporibus, non sunt necessaria? Nostra demonstratio haec est: *Deus reuelauit, ergo credamus, Christus est promeritus satisfaciendo, ergo fide recipiamus et teneamus, deus praecepit, ergo faciamus, deus promisit, ergo speremus!* Cui deo trinuni, patri, filio et spiritui sancto sit laus, honor, et gloria!



94 A 7368



KD A





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Inches  
Centimetres

NOVA REVELATIO  
NOVA QVE  
MIRACVLA A DEO  
NOSTRIS TEMPORIBVS  
NE Q VE SVNT PROMISSA  
NE Q VE ETIAM NECESSARIA.  
ASSEVERATIO,  
Q V A M  
EX AVCTORITATE  
MAGNIF. ET S. VENER. THEOLOGORVM ORDINIS  
PRO LICENTIA  
S V M M O S  
IN THEOLOGIA HONORES  
CONSEQ VEND I  
IN  
ILLVSTRI ACADEMIA LIPSIENS I  
DIE XXX. NOV. A. R. S. MDCCCLXXV.  
AFFIRMABIT ET DEFENDET  
M. GOTTLIEB MERKELIVS  
PAST. ET SVP. TORGAVIENSIS.  
LIPSIAE  
EX OFFICINA JACOBÆRIA.